



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis;
necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ
propositiones, & alia

Genet, François

Parisiis, 1703

Quæst I. Quid est Contritio?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40817

De Sacramento Pœnit. Cap. V. 21
fructu cùm sit initium dispositionis ad perfectam Pœnitentiam.

Quæst. 7. Quænam sunt partes Pœnitentiæ ?

Resp. Ex Concilio Tridentino, Contritio, Sess. 14. cap. Confessio, & Satisfactio Pœnitentiæ partes dicuntur: Suntque illius quasi materia: quod quidem egregiè explicat S. Chrysostomus relatus in Canone his verbis: Perfecta Pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter sufferre; in corde ejus Contritio est, in ore ejus Confessio, in opere tota humilitas, scilicet satisfactionis. In sequentibus deinceps capitibus explicabimus tres has partes quæ necessariae sunt ad veram Pœnitentiam.

Can. Perfecta. De Pœnitentiâ. dist. 3.

C A P U T V.

De Contritione.

Quæst. 1. QUID est Contritio ?

Resp. Ex Concilio Tridentino: Contritio qua primum locum inter dictos Pœnitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero: ita demùm præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divina misericordiae & voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum hoc sacramentum requiruntur.

Sess. 14. cap. 4.

Quæst. 2. Quænam conditiones exiguntur ad hunc dolorem, ut sit verus ?

Resp. Quatuor conditiones requiruntur: nimirum debet esse Interior, Supremus, Universalis, & Supernaturalis.

Quæst. 3. Quare Contritio debet esse interior ?